INSCRIPTION

16

# TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE DIARRHOEA:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES ADDIE,

SCOTUS,

Societ. Reg. Med. Edin. Sod.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVI.

C

Mr. Jeffray

With kindest wishes
from his friend
J Addie

Viro Eximio

JACOBO GREGORY, M. D.

Inter Summos

Doctrina et Literis Illuſtri;

Cum ob Conſilia et Praecepta,

Tum ob Amicitiam,

Qua ſe dignatus eſt,

Hoc Tentamen,

Animi haud ingrati teſtimonium,

Sacrum voluit

A U C T O R.

ietatc P
Addis, I
sgow Li
8951

TENTAMI

INAU

DIAR

IN oeconomia ani
na funguntur, h
cultas, ac conſenſus
verſaſque totius ſyſte
ſa ſunt, quare multi
portuna ſaepe laceſſu
les fiunt.

Nullus eorum at
vindicat, neque ullu
meretur, quam morl
tractaturus.

Quamvis enim mu
pe non tam cito, qu

# TENTAMEN MEDICUM

## INAUGURALE,

### DE

# DIARRHOEA.

IN oeconomia animali, munia quibus inteſtina funguntur, horum ſentiendi tenerior facultas, ac conſenſus mirabilis qui haec inter diverſaſque totius ſyſtematis partes obtinet, in cauſa ſunt, quare multi morborum quibus ſunt opportuna ſaepe laceſſunt, multique ſubito lethales fiunt.

Nullus eorum attentionem medici non ſibi vindicat, neque ullus hanc attentionem melius meretur, quam morbus de quo nunc leviter ſum tractaturus.

Quamvis enim multoties mitis, quamvis ſaepe non tam cito, quam multi alii morbi, ad le-

thi

thi januasducit; tamen in quibuſdam exemplis ſymptomata diriora edit, aegroſque quam celerrime rapit; vel ſaepius ſeſe jungens aliis morbis aliter ſanabilibus, vires his necatrices non inſolito conciliare videtur.

## DEFINITIO ET HISTORIA MORBI.

Celeberrimo noſtro Praeceptore ita finitur:

'Dejectio frequens; morbus non contagioſus; pyrexia nulla primaria *.'

Originem ex fontibus tam diverſis ducit, et in decurſu phaenomena tam varia edit, ut perdifficile imo fere impoſſibile, aut haec enumerare aut illa inveſtigare, eveniat.

Haud raro, ante hujus ingreſſum, corpus languidum, debile, horrores et aliquando rubores leves invadunt, anxietas circa praecordia et interdum nauſea et vomitus vexant. Abdomen tumet murmuratque. Tormina, circa umbilicum,

* Synopſ. Noſol. Meth. G. LXI.

cum, aut ad tractum coli, leviter torquent. Lumborum dolores et gravitas infeſtant. Flatus deorſum emittuntur.

His vel vigentibus, vel praegreſſis, ingens ad alvum deponendum oboritur propenſio; niſus, ad iſtam finem, conſequitur, et multae faeces liquidae excernuntur. Aliquid exinde levaminis aegroto plerumque accedit, ſed languidus, et frigoris impatiens, reſtat; brevi etiam renovatur deſidendi cupiditas, et alvus iterum iterumque dejicitur.

Per aliquot dies, vel etiam hebdomadas, haec ſigna interdum ita ſeſe ferunt; perſtante autem morbo, aliis diris ſymptomatis ſtipata, aegrum vel lenta tabe depaſcunt, vel immani vi celeriter ſubruunt *.

Dejectionibus numeroſis et acribus, inteſtina naturali muco, quo ſunt illita, orbantur, irritantur, inflammantur. Haemorrhois, teneſmus, et inteſtini recti prolapſus, ſequuntur. Appetitus cibi proſternitur, vel ſi permanſerit, ingeſta male concocta ſunt fomiti profluvio. Sitis aucta, urina

* Vid. Williſ. Pharm. Rat. ſect iii. de dyſenteria incruenta, ut et Morgagni de ſed. et cauſ. Morb epiſt. XXXI. caſ. ſuum. Car. Piſo de colluv. ſeroſ. Auct. Pract. paſſim.

urina parca, lingua et cutis arida, hoc morbi ſtadium ſaepe concomitantur. Pulſus ſunt parvi, debiles, frequentes, ſaepe intermittentes, oculi ſunt triſtes, ora pallida, corpus tabidum, et animus demiſſus. Dolores capitis, vertigo, et aurium tinnitus, valde urgent. Spiritus, ex quovis corporis motu, difficile trahitur, cor palpitat, et ſudoribus frigidis, frontem et pectus tegentibus, aeger in animi deliquia dilabitur.

Placida quies laſſis denegatur membris, et ſomnus fere omnino fugit oculos. Nunc oedema, veſperem verſus, pedes et crura occupat, ac febris hectica jamjam incenſa reliquias virium prorſus abſumit. Tandem ſingultus, aphthae, et dilirium affligunt; faeces inſcio elabuntur; artus frigeſcunt; atque nunc ad ultimam rerum lineam perductus, plerumque inter alvum deponendum abſumitur *.

Hac via, morbus hicce ſaepe curſum tenet; et, quamvis frequenter ſit mitior, quamvis non raro videtur eſſe ſalutaris naturae conatus, quo corpus a noxis multis et morbis liberat; eſt plerumque malum pertinax, et etiamſi ſaepius fuerit

* Vid. Baglivi prax. cap. de diarrhoea.

erit depulſus, iterum a leviſſimis neque ſemper detegendis cauſis redintegratur *.

Materies excreta, pro morbi cauſa et aegri conditione, multum variat, ita ut atra, viridis, albida, nunc bilem, nunc ſerum, nunc ſaniem, pus, aut chylum, maxime referat †. Fluit aliquando ſpumans mucoſa lineamentis ſanguineis tincta, imo quandoque excernitur ſanguis ſincerus, et morbus dyſenteriam aemulatur veram. Interdum excrementa, fruſtis alimentorum ſunt mixta, interdum referunt adipem, interdum referunt gluten ‡. Aliis ramenta inteſtinorum tunicis ſimilia, aliis vermes, aliis calculi, aliis demum hydatides || cum faecibus dejectis, prodire videbantur.



* Vid. Ill. Gregorii Conſp. Med. Theoret. § 656. ade aſque naturam.

† Clar. Culleni Prim. lin. et Synopſ. Noſolog. Method. et Illuſt. Sauvages Noſologia.

‡ Cel. Van Swieten com. in Boerh. Aph. § 719.

|| Celeb. Gregorii Praelect. Clin.

## DIAGNOSIS.

INTER hunc et dyſenteriam, in exemplis quibuſdam, diagnoſis valde difficilis. Dyſenteria enim aliquando ut diarrhoea incipit, et dum ſigna pyrexiae leviora vel fere nulla adſunt, faeces alvi naturales, in primis morbi diebus, excernuntur. E contrario, eſt aliquando videre diarrhoeam principiis morborum febrilium adeſſe, et ſaepenumero ſeſe proferre, omnibus fere ſignis pyrexiae ſtipatam.

Nec tormina graviora, nec natura dyſenteriae contagioſa, certius illam a diarrhoea omnibus in caſibus ſecernunt. Tormina enim gravia, hanc etiam non inſolito concomitantur, et quanquam concedatur diarrhoeam nunquam eſſe contagioſam, nemo ibit infiçias, eam haud raro eſſe epidemicam, et rebus ita ſe habentibus, non ſemper facile erit dicere, utrum a contagio, utrum ab alia cauſa occulta morbus ortum duxerit.

In horum morborum decurſu, indicia minus incerta emergunt, quibus hi inter ſeſe certius

et

et clarius dignoſcantur. In dyſenteria, ſtercus naturale eſt retentum, excretiones parvae, mucoſae, cum ſcybalis, faetorem ſibi proprium emittunt *, et homines, effluviis abhinc prodientibus, objecti, morbo huic ſimili corripiuntur. In diarrhoea, quod dejicitur, perraro ſcybalis mixtum, rivo pleniore fluit, nec videtur eſſe contagioſum. In dyſenteria, quoties exoneratur alvus, moleſtiſſimus eſt quaſi deſcenſus ac depreſſio inteſtinorum, ac viſcerum omnium †. Si haec, in diarrhoea, unquam in conſpectum veniant, multo mitiora cernuntur.

Diarrhoea biliosa, non niſi in gradu, a cholera differre videtur; nam eadem plerumque cauſa ambos morbos gignit, eadem pene phaenomena in illorum decurſu proveniunt, eademque remedia utrique occurrunt.

In diagnoſi, hic ut alibi ſtabilienda, non abs re erit, tempus anni, quo morbus primo ſeſe prodit, aegri morbos praegreſſos, aetatem, temperiem, et vitae genus animadvertere, ut et remediorum effectus, ſi aliqua fuerint adminiſtrata.

CAUSAE

* Vid. Sir John Pringle's diſeaſes of the army.

† Clar. Sydenham De Dyſenteria.

## CAUSAE REMOTAE.

Juniores, faeminae, debiles et laxi ſaepius hoc ab morbo laborant. Ei praecipue dant proclivitatem, cutis capitiſque morbi, ſed ante omnes, plerique morborum canalis alimentarii, et viſcerum adjacentium, ut enteritis, colica, cholera, dyſenteria, ſchirrus, inflammatio, eorumque ſequelae, in glandulis meſentericis, hepate, liene, renibus, utero, et veſica.

Omnia in corpus recepta, aut intus genita, quae facultatem inteſtina ſtimulandi tenent, vel, quae in iis humorum quantitatem augent, hujus fundamenta jacent.

Hujus generis ſunt, I. Alimenta.
II. Medicamina et Venena.
III. Animalia.
IV. Corpora duriora.
V. Excretiones.

I. Maſſa

I. Maſſa alimentaria, quamvis ex materia mitiori conflata, motum vermicularem, qua pollent ventriculus et inteſtina, ciere queat; muſculi enim omnes, viribus diſtentionis obediunt, iiſque in contractiones validiſſimas ſaepiſſime trahuntur.

Sanitate vigente, dum cibi et potus tantum ſumitur, quantum ad vires ſolummodo reficiendas et ſitim reſtinguendam valeat, nil eſt incommodi exinde; ſed e contrario, hominibus ita vitam tolerantibus, nova hilaritas, novaeque vires, ad omnia vitae munera obeunda, proveniunt. Motus periſtalticus rite abſolvitur, et poteſtates nocivas, ſi quae cibo vel potui fuerint, ſubigit, et tempore idoneo e corpore omnino extrudit.

Si aliquando autem, ex conſuetudine prava, ſive conditione corporis morbida, homines, plus juſto cibi potuſve ingurgitaverint, ventriculus diſtentus et ſupra modum gravatus, in contractiones validiſſimas conjicitur, materias male ſubactas inteſtinis tradit, quae ſimiles motus ſpaſticos concipiunt, et diarrhoeam faciunt.

Alimenta, etiamſi in quantitate mediocri ſumpta, quandoque, ex materiis quibuſdam conficiuntur, quae facultatem, inteſtina ad motus va-

lidiores

lidiores excitandi, tenent. Ab experimentis certiores ſumus facti, cibum potumque aliquid ſalinae indolis (veluti ſacchari) in ſuo ſinu tenentem, ea facultate eſſe praeditum, et ſaepe ſaepius diarrhoeam inducere. Victus quoque, ex rebus liquidis et lubricis, ut et pocula liberiora, etiamſi mitia et blanda, neque motum periſtalticum, neque excretiones inteſtinorum augerent, facile, per iſtam canalem tranſire, et dejectiones ſolito frequentiores facere poſſint.

Saepenumero etiam, in ventriculo et tubo inteſtinali, mutationes ſubeunt alimenta, quibus, aut per ſe, aut cum bile, aliiſque ventriculi et inteſtinorum ſuccis mixta, ad motum periſtalticum ciendum, aptiora eveniunt. Ita victus, ad fermentationem acidam vel putridam proclivis, videtur fieri hujus morbi cauſa. Exempla prioris, eſt invenire, in fructibus multis et herbis; poſterioris in oleis, praeſertim animalibus, pro cibo liberius uſis. Ut illa hoc modo, fluxus alvi fons et origo fiant, ex ſignis dyſpepſiae praeeuntibus, ex odore acido, et colore viridi dejectionum, et ex remediis, felicius, in iſto rerum eventu, adhibitis, medicis nunc melius innoteſcunt. Ut haec, in colluviem putridam dilabantur, et ita diarrhoeam gignant, certiores ſumus

facti,

facti, putridis eructatis et dejectis, ut et effectibus, quos edunt acida aliaque antiſeptica, ad diarrhoeam cohibendam epota.

Num motum periſtalticum augendo, ſolum agunt? Nonne quoque, majorem proventum bilis aliorumque humorum provocent? In diarrhoea, a putridis effluviis orta, multum bilis flavae foetidaeque egeritur, et cholera, interdum oriri, et non inſolito ab ingeſtis ad putredinem proclivibus renovari et augeri, dicitur. Num vires et actionem vaſorum reſorbentium, ad interiora inteſtinorum, minuunt? Vires concoctrices certe minuunt, vel omnino ſuperant, et ex hoc fonte forſitan omnes effectus ab his dimanantes, originem ducere queant.

An unquam alimenta inconcocta, per glandulas meſentericas tranſeuntia, has ita ſtimulant, ut ſchirrum et inflammationem in iis gignant? Fiantne hoc modo fluoris alvi cauſae remotae? Rem ita eſſe videtur. Tenelli enim, qui male concoquunt, et qui vitam viſcido et craſſiore cibo tolerant, frequentius tabe meſenterica, cui coeliaca eſt ſaepe comiti, corripiuntur.

II. Remedia omnia cathartica et venena multa alvum cient. Illa doſi nimis larga adhibita, et haec vel quantitate minima infeliciter ſumpta,

ſaepe

ſaepe catharſin pleniorem, nimiſque diuturnam, efficiunt. Primarum viarum vires multum imminuunt, eoque mobiliora reddunt. Quaedam horum, inflammationem et ulcera in locis, quibus ſunt admota, gignunt, omnia, fluxum humorum copioſiorem, in tubum alimentarium eliciunt, hujuſque motum vermicularem intendunt.

II. Animalia, inter hujus morbi cauſas ſunt recenſenda. Infantum et juvenum diarrhoea, a vermibus in tubo inteſtinali hoſpitantibus, principium ſaepius trahit. Si contemplemur facultates, quibus haec animantia gaudent, et officia quibus funguntur, non mirabile erit hoc ita evenire.

Adhuc vivi, victumque quaerentes, ſurſum et deorſum repunt, hoc deficiente aut corporibus noxiis illos irritantibus, viſcera ipſa rodunt. Muci viſcidi putridi multum generant, eoque fluxui copiam ſuppeditant, ac inteſtina in motum validiorem trahunt. Mortui etiam, et in colluviem putridam ruentes, modo alius ſaburrae ſimili huic ortum conciliant.

IV. Corpora duriora, in tractu alimentario formata, praeter alia ſymptomata graviora, diarrhoea aliquando ſtipantur, ut nuperrime in

aulis

aulis clinicis hic loci erat videre. Saepenumero quidem alvum adſtrictam ſibi conſociunt; ſed dummodo canalem ex toto non occludunt, diarrhoeam ſcabritie, mole, gravitate, faciunt *.

Cauſae huic ſimili forſitan referre debemus, fluxum ſubito lethalem, qui olim poſt inſtitutam pro fiſtula ani operationem, aegros corripere ſolebat. Chirurgi, tunc magis arti quam naturae fidentes, turedines magnas, acribus et calefacientibus remediis imbutas, in vulnera magna, ad inteſtinum rectum inflicta, trudebant. Quid inde proveniret? Inflammatio certe inteſtini recti quod totum canalem alimentarium cum ſeipſo in conſenſum trahens, motus in eo convulſivos excitaret, atque alvi profluvium conſequeretur. Huic cauſae forſan vires condonaret habitus corporis depravatus, qui non inſolito iſti malo originem praebere, vel ſaltem cum eo conſociari videtur. Sed multo rarius nunc diarrhoea affligit, cum chirugi novum eximiumque induxerunt morem iſtius curationis inſtituendae.

An huc fluxum a calculo in veſica urinaria relegare decet? Dolorem et inflammationem, ad



* Clar. Gregorii Praelect. Clin. ut et Clar. Monro Praelect.

collum veſicae calculus ſaepius facit. Haec per interventum membranae cellularis, vaſorum ſanguinem vehentium et nervorum, recto communicantur, et hinc forſitan diarrhoea. Sed hic, in animo tenere non alienum videtur, hos, qui calculo in viis urinariis ſunt vexati, ſaepenumero etiam ab acido in ventriculo et inteſtinis laborare, quod, ut in aliis caſibus, alvi profluvium inducere, vel ei ab aliis cauſis ortae fomiti eſſe poſſit.

V. Excretiones acrimonia gaudentes, vel ſolito copioſiores, alvi fluxui originem tribuunt. Sub hoc capite ſunt recenſenda bilis, ſuccus pancreaticus, ſanguis, ſanies, pus, aliique humores in ventriculum et inteſtina ex vaſis eorum ſecernentibus profuſi.

1. Bilis in ſtatu naturali, et per ſe et forſitan aliis conjuncta, eſt inteſtinis ſtimulo; et ſi cauſa quavis, ſive acribus injeſtis, ſive animi pathematis, ſive calore externo, ſive capitis aliuſve partis morbis, copioſior vel acrior ſolito fuerit effuſa, hujus morbi occaſio fieri poteſt. Et quidem, non inter cauſas ejus inſolitas recenſeri debet. Omni fere in exemplo diarrhoeae, vires ejus intendit, et uni ſpeciei ab illa praeſertim progenitae nomen dedit.

2.

2. Celeberrimus Cullenus inter alvi fluxus cauſas ſuccum pancreaticum memorat, et credere videtur, iſtam glandulam adhuc ſanam et integram, humorem acrem ſecernere poſſe. Nullus dubito, quin ſtatus diverſi glandularum, mutationes multas et magnas fluidis ab his ſecretis inferre poſſint; ſucci enim, glandulis omnibus in corpore ſecreti, acriores fiunt, dum hae inflammatione, ſchirro, aliiſque morbis, afficiuntur. Sed copia ſolum abundans, dejectiones juſto frequentiores facere poteſt. Alienis quoque quae inteſtinis ſcatent commixtus, indoles varias induat, vel ſi aliquid acre e corpore evehat, ut alia acria, ſecretiones et motum inteſtinorum augere queat. Inclytus Monro ſibi perſuaſum habet, Mercurium, in hominibus quibuſdam, diarrhoeam ciere, ſecretionem hujus ſucci copioſiorem excitando *.

Num cauſae huic ſimili diarrhoea infantum dentientium tribuere debemus? An ſaliva, tunc temporis in copia uberiore ſecreta et deglutita, fieri poteſt hujus mali origo? Copia nimia forſan ſuccum gaſtricum in pejus mutat, et ventriculum gravans concoctioni nocet. Certe il-

lo

* Praelect. adeas.

lo tempore, neque ut ſolito cibum appetunt, neque bene concoquunt. Num autem haec dyſpepſia hac ab cauſa provenit, num a febricula tunc incenſa, num potius a ſympathia nervoſa, apud medicos adhuc parum conſtat.

3. Sanguis ex vaſis ſanguiferis, per inteſtina parteſque vicinas repentibus, ruptis, eroſis, vel per anaſtomoſin apertis, occaſionem diarrhoeae praebet, quae nomen ſibi melaenae ſortitur. Globuli ſanguinis rubri extra venas effuſi, et in calore corporis humani detenti, celeriter in putredinem ruunt, ac in hoc ſtatu, tubo inteſtinali applicati, validos in eo motus cient.

Sani adhuc et integri ſtimulum ſatis validum vaſis ſanguiferis inferunt, et in ventriculum delapſi, nauſeam et vomitum excitant, vel per pylorum tranſeuntes ſunt fluxui occaſioni.

4. Saniem huic fini contribuere, diris exemplis docemur. In cynanche maligna, ſanies ab ulceribus faucium deglutita, tormina et fluxum foetidum, non minima malorum iſtius morbi comitum, facit. Siquando etiam, ulcera mali moris viſcus abdominis quoddam occupaverint, humorem ſimilem profundent, et ſimilia indicia edent. Sunt nobis exempla, in uteri et pancreatis carcinomate, atque ſaepe in hepatis exulceratione.

ratione. Huc quoque referre poſſumus diarrhoeam quae in aphthis et pemphigo, a veſiculis et eſcharis tractum alimentarium occupantibus, oritur.

5. Pus, ab ulceribus in ipſis inteſtinis, vel in partibus corporis adjacentibus, ad ſpeciem peculiarem hujuſce morbi gignendam, contulit. Reſorberi quoque, ſicut alii humores, ab aliis corporis cavis, iterumque per vaſa inteſtinorum excernentia, in illorum ſinum ſecerni poteſt. Febris hectica, plerumque, a reſorpto pure vel ſanie, ex quavis corporis parte, originem trahit. Et veriſimile, imo quidem certum eſt, diarrhoeam in ea colliquativam, ab iſtis ad interiora depoſitis, non raro oriri. His enim progenitis materia ex ulceribus externis reſorpta, optime occurritur ſpongia ulceribus applicata *.

6. Praeter ea, omnes humores, copia uberiori, vaſis inteſtinorum exhalantibus ſecreti, alvum ſollicitant, et diarrhoeam gignunt. Aqua pura, et

* Homo, qui in Noſocomio hic loci nuper decumbebat, poſt artum amputatum, febre hectica et diarrhoea colliquativa corripiebatur. Quod dejiciebatur pus a membro mutilato ſecretum colore et conſiſtentia valde referebat. Eximius Chirurgus Thomas Wood per aliquot dies ſpongiam vulneri adhibuit, quo tempore et febris hectica et diarrhoea ſanabantur.

et olea blanda, partim mole, partim tenui et lubrica natura, catharſin aliquando faciunt; idemque videtur evenire a ſecretione copioſa muci viſcidi, quo inteſtina obducuntur, etiam cum nil acritudinis poſſidet. Multarum autem ſecretionum, acrimoniam cum harum copia auctam, invenimus. Hujuſce rei, omnibus ſunt exempla notabiliora, in ulceribus, in catarrho, et in leucorrhoea; et idem évenire in canalis alimentarii ſecretionibus auctis, probabile fiet, ſi cauſas hujus inſpiciamus.

*a*. Prima, frequentiſſima, et maxime notabilis, eſt perſpiratio cohibita. Medicis bene notum eſt, noxium quoddam, hac via, e corpore eliminari, etiam dum corpus ſanitate maxime viget. Equidem manifeſtum eſt, hanc excretionem, alma natura, ad ſanitatem tuendam, fuiſſe inſtitutam; nam ſi haec, vel gravibus animi affectibus, vel coelo humido et frigido, vel vitae genere victuque pravo, fuerit repreſſa, corporis ſalus exinde multum vacillat. Siquando id quod ejicitur in longum fuerit retentum, vel iterum in corpus receptum, ſymptomata tam dira, quam acerbiſſimum venenum hominibus adferre videtur *. Compertum quoque eſt, quod fomites eo imbuti,

* Vid. Sir John Pringle's diſeaſes, cap. de febre carcer

imbuti, cutique admoti, pruritum, inflammationem, exulcerationem, ibi loci faciunt. Quum res ita ſeſe habent, nonne abhinc concludere licet, idem inteſtina verſus delatum, et organis ibi perſpirationis vice fungentibus, ſecretum, humoribus eo ruentibus, vim ſtimulantem conciliaturum eſſe. In coryza a frigore orta, humores membrana narium mucoſa ſecreti aliquando, labrum ſuperius et nares inflammant, et excoriant.

*b.* Alia, ſecretionis adauctae per inteſtina, cauſa eſt iſchuria. Quicunque noverit quam multa acria e corpore, per vias urinarias, ſunt delata, et quomodo hae, aliquando irritantur urina, facile videbit, eandem ad primas vias determinatam, ſecretiones per villos eorum exhalantes inquinare poſſe, iiſque non illi aſſuetis irritationem magnam adferre.

*c.* Cauſa huic ſimilis eſt aucta fluidi reſorptio, ex cavis hydropicis. Certe non eſt pretium operae, ut ego oſtendere conarer, iſta fluida, pleriſque in exemplis, nonnihil, et aliquando multum acrimoniae, continere. Nec videtur, quod vires ſyſtematis ſanguiferi, iſtam acrimoniam ſubigere poſſunt; humores enim dejecti, ſpecie valde referunt eos paracenteſi detractos, ſaepe fae-

torem

torem tetrum emittunt, ſenſumque doloris et ardoris, per inteſtina tranſeuntes, efficiunt.

*d.* Ad hoc, quaedam acria ſunt in corpus quandoque recepta, quae vel ad vaſa inteſtinorum ſecernentia miſſa, illorum ſecretionem augent, et motui vermiculari calcar addunt, vel tales corporis totius et partium ejus conditiones efficiunt, quales ad eundem finem perducunt.

Diarrhoea, in multis morbis a contagio ortis, videtur oriri a materia morbifica hos morbos faciente, e corpore per inteſtina abeunte. In variolis, alvi fluxus ſaepe ab ipſo initio, fere ſemper verſus morbi finem, infeſtat. In morbillis, ſcarlatina, multiſque aliis, idem ſaepe accidit. Neque eſt cur demiremur hoc ita eſſe. Quicquid enim contagium ſit, quod hos morbos in lucem edit, certe illi eſt poteſtas motus validos in primis viis, aliiſque ſyſtematis partibus excitandi, et nunc in una, nunc in alia parte, figit ſedes, exercetque tyrannidem.

Nil dubii eſt, quin contagium per aera haurire, et cum ſaliva deglutire poſſit, ac in ventriculo et inteſtinis haerens, humoribus a ſeipſo elicitis vires ſtimulantes conferre queat. Siquando aliter in corpus fuerit receptum, ad colum alimentarium transferri, ibique cum fluidis ſeparatum,

ratum, eoſdem vel ſimiles effectus, ſimiliter poterit progignere. Dubia, quae theoria contra illius metaſtaſin ac ſeparationem ſuggereret, non mihi melius condita videntur, quam quae contra cantharidum ad vias urinarias tranſlationem, earumque a fluidis ſeparationem, adduci queant; nemo tamen ſanus ſuper tali re vel minimum concipit.

Sed hoc modo non ſolum agit. Illa ſaepenumero tantae mutationes et in fluidis et corporis ſolidis ſunt inductae, quantae fluidis ab his ſecretis mutationes graviores inferre poſſint. Non inſolito dat fluidis proclivitatem ad putredinem, et in morbis pyrexia ſtipatis, quando diarrhoea maxime urget, indicia plerumque multa indolis fluidorum putridae adſunt, excretiones fere omnes in pejus ruunt, ac facies externa odorque faetidus dejectionum oſtendunt, has quoque eſſe multum contaminatas.

Interdum ſpaſmum in corporis ſuperficie inducendo, interdum omnes ſolidas partes debilitando, fluida per inteſtina ſecreta acriora reddere queat. Ex uſu diſcimus, quod ulcerum vaſa, viribus corporis fractis, humores minus puros in copia juſto uberiore ſecernunt, atque in fluore albo, idem ab eadem cauſa videtur eveni-

re. Nonne quoque veriſimile, nonne verum eſt, quod primarum viarum vaſa excretoria, hoc vel alio modo, laxa et debilia facta, globulos rubros cum vi magna feri, in eas a ſanguine ſeparari ſinant? Num diarrhoea ſanioſa, quam in febribus quibuſdam malignis, in ſcorbuto aliiſque morbis, affligere videmus, talem ortum agnoſcit? An ſtatui fluidorum putreſcenti ſit tribuenda? An potius ambobus ſimul junctis? Parum intereſt, utrum primum, ſecundum, vel tertium, pro cauſa ponamus; nil eſt dubii, quin ibi excrementa a ſtatu ſano deflexere, ac ſunt ſolito acriora.

*e.* Denique, in erythemate inteſtinorum, actio vaſorum exhalantium ita augeatur, ut veriſimile fiat, illa in iſto ſtatu, fluida ſecreta, viribus ſtimulantibus proferre. In erythemate, cutem occupante, materiam ibi excretam, in multis exemplis acerrimam invenimus, cutem parteſque ſubjectas rodentem.

Tantum addam, utcunque motus periſtalticus, et actio vaſorum canalis alimentarii fuerint aucta, ſive frigore, ſive animi pathematibus, ſive aliis cauſis jam plenius recenſitis, ex analogia, et effectibus quibus ſtipantur, conjicere liceat, humores tunc ab his excretos, non tam mites eſſe quam in horum ſtatu naturali. Et quamvis ergo

ergo methodi, ſecretionis auctae cauſas ſeorſum perpendimus, ſaepe plures earum conjunctas, ad eandem metam tendentes, nobis eſt videre.

## CAUSA PROXIMA.

ANTIQUI medici, et multi etiam inter recentiores, crediderunt, hunc morbum fuiſſe progeniem levitatis inteſtinorum. Inſpicientes cadavera eorum, qui illo vexante moriebantur, inteſtina ut cogitabant leviora quam in ſtatu naturali, inveniebant; atque animos adhibentes ad ſpeciem rerum dejectarum, eaſque conſpicientes, tenui, mucoſa, et lubrica natura donatas, illico colligebant, eas ſua tantum mobilitate ac gravitate, celerius ad inferiora fuiſſe lapſas, et ita originem alvi profluvio dediſſe. Quumque alvum cibi durioris uſu conſtipatam, et cibi liquidioris uſu ſolutam viderent, haec avide arripiebant, ad theorias quas ſuper hoc fundamentum ſtruxiſſent fulciendas.

Alii, hac opinione non omnino contenti, laxitatem potius inteſtinorum hujuſce morbi cauſam

ſam eſſe voluerunt. Ægros paralyſi afflictos, et moribundos, poſt reſolutum ani ſphincterem, diarrhoea corripi videbant; et quamvis illa, nec aetatem, nec ſexum, nec temperamentum, aliquem, omni tempore, ſalvum praeſtare viderent: juvenes, faeminas, et eos qui habitu molli ac mobili erant praediti, vel qui longis laboribus et diutinis morbis erant fracti, illam frequentius adoriri obſervabant. In gonorrhoea mucoſa, et catarrho chronico, et fluore albo, excretiones copioſas, cum vaſorum excernentium laxitate junctas, ſi non ab illa ortas, cernebant, avidique ſimplicitatis, hanc pro cauſa diarrhoeae ſola ſtatuebant.

Medici nunc hodie, argumenta parum reſpicientes, quibus horum utrique ſuis opinionibus veriſimilitudinem conciliare conabantur, motum inteſtinorum periſtalticum auctum, pro ſola hujuſce morbi cauſa poſuerunt; ſed motus periſtalticus non ſolus alimenta et faeces ad inferiora ſollicitat; motus quoque et poſitura corporis, non parum ad iſtam finem contribuunt; et cibi liquidi et excretiones inteſtinorum copioſae, ſaepe citius juſto, ſine aucto periſtaltico motu, ac ſine ullo fere conamine, dejiciuntur. Equidem, ſi cauſa proxima id ſit ſine quo morbus fieri non poſſit,

poſſit, et quo exiſtente, morbus ſemper ſequitur; melius mihi videtur, molem materiei liquidae in tubo inteſtinali auctam, ejuſque ad anum deſcenſum celerem, pro cauſa hujus morbi proxima ponere. Motus periſtalticus aliquando augeri poſſit et nulla diarrhoea conſequeretur; nam, ſi eodem tempore actio vaſorum lacteorum augeatur, humores qui aliter propulſi et fluxui occaſioni fuiſſent, in ſanguinem iterum revehuntur. Exercitatio certe omnis motum vermicularem intendit; tamen notum eſt, equitationem alvum aliquibus conſtipare. Porro, ſi obſtructio quaevis intra tubum alimentarium haereret, quamvis motus vermicularis fuerit auctus, nullum alvi profluvium adeſſet. In ſchirro pylori, in colica calloſa et calculoſa, atque in hernia poſt data cathartica, ſymptomata nobis oſtendunt motum inteſtinorum periſtalticum quandoque augeri, et tamen nullam diarrhoeam ſequi poſſe.

## PROGNOSIS.

CAUSIS morbi et decurſu, ut et aegri conditione probe perſpectis, medicus ad prognoſin eruendam

eruendam ſeſe accingat. Si fluxus a viſcerum abdominalium ſchirro, ulcere, carcinomate; ſi in phthiſi, tabe meſenterica, et febre hectica, ortus fuerit; vel, ſi morbos diuturnos, qui jam fregerunt vires, ſequatur; malum. Si in longum fuerit protractus, corpus extenuatur, appetitus cibi et concoctio labefactentur; ac ſi ſenes et mulieres uterum gerentes exerceat, malum iterum. Sed quando, in iſtis corporis conditionibus, dejectiones ſunt copioſae, faetidae, nigrae, ſi vel animi deliquium, vel ſingultus, vel aphthae laceſſant, de aegro omnino actum eſt.

E contrario, prognoſis ſit fauſta, cum hae conditiones deſunt, cum juvenes, qui ſuccis luxuriantur et robore, ac cum infantes aliis malis liberos adoritur. Bonum praebet ſignum debita urinae excretio; quia hac via excerni poſſe talia, qualia ad inteſtina delata, iis irritamento forſitan fuiſſent, et quia ſanguinem renes verſus determinatum eſſe oſtendit. Ob eaſdem cauſas, copioſa perſpiratio, in exemplis quibuſdam, curationem pollicetur.

METHO-

## METHODUS MEDENDI.

NATURA benigna, ſaepe nil indiga medicinae ope, alvi fluorem ſanat; contra autem, interdum et vires naturae medicatrices omnino ſuperat, et nullis eſt medicabilis herbis. In omni autem caſu, ubi vires naturae deficiunt, boni eſt medici opem ferre, et ſaltem lenire mala quae ſummoveri nequeant.

In curatione inſtituenda conandum eſt,

I. Cauſas remotas amovere vel corrigere.

II. Morbi progreſſui obſtare, et ſymptomata lenire.

III. Ejus reditui occurrere.

I. Cauſas valde diverſas invenimus, et prout cauſa varia, ita eam aut amovendi aut corrigendi methodus. Et in caſibus diverſis:

1. Emetica.
2. Cathartica.
3. Diluentia et demulcentia.
4. Antacida.
5. Antiſeptica.
6. Anthelmintica ſunt utenda.

7. Quan-

7. Quando alii morbi dant huic originem, adhibenda ſunt remedia morbum primigenium ſanando idonea.

1. Emetica. Si morbus ab ingluvie, vel ab acri quovis in ventriculo haerente, vel ſi a frigore humores ad inferiora pellente, ortus fuerit; nullum eſt auxilium praeſtantius, nullum tutius, nullum promptius, quam ſunt remedia hujus generis. Non tantum ventriculum exinaniunt, ſanguinis motum per totum corpus liberum efficiunt, congeſtiones abnormes tollunt, exhalationem per cutem interruptam renovant, et forſitan motum periſtalticum compeſcunt.

Ad haec omnia perficienda ipecacuanha maxime in uſu eſt, et quidem fructus tam eximios et ſalutares protulit, ut per longum tempus in veneratione, tanquam ſpecificum, adverſus alvi profluvia habebatur. Poſt vomitum plenum, parvis doſibus ad nauſeam uſque et lenem catharſin adminiſtrata, praeſtantiſſimos effectus dicitur edidiſſe *. Ut facultatem aſtringentem ſimul cum vomitoriis et catharticis virtutibus tenens, pro omnibus aliis emeticis eſſe poteſt, et primum eſt recenſendum inter

2. Pur-

* Lond. Med. Obſ. Dr Pye.

2. Purgantia. Multis olim fuit medicis ſolenne, alvi ſolutae curationem, a remediis catharticis inire; adhuc etiam haud pauci virtutibus rhei, non ſine fructu confidunt *. Num autem illius effectus, qualitatibus catharticis potius quam virtutibus ejus roborantibus, tribueremus, neſcio. Certe ut auxilium roborans, melius pro carthartico in diarrhoea quam remedia infirmantia adhiberi poteſt. Num reſorptionem auget? Certe in ſanguinem tranſit, urinam aliquando tingit et movet. Forſitan nauſea quam facit, ad effectus ejus producendos, multis in exemplis valet. Huic aliqui ipecacuanham addunt, et credunt, illud tum melius ſatisfacere votis. Sed caute his et aliis purgantibus utendum eſt, et non niſi profluvium acria ingeſta, ſcybala, vel vermes pro cauſa agnoſcit, ullum fere opus eſt iis. Neque in iſto rerum eventu ſemper ſunt utilia †. Si originem ab erythemate, ſeu a fluidorum conditione morbida, traxerit, vel ſi his conditionibus fuerit ſtipatum, uſus eorum ex toto eſt repudiandus, et melius erit decurrere ad



* Clar. Hope Praelect. Bot. Illius praxis fidem verbis tribuit.

† Vid. Illuſtr. Culleni eximias cautel. Prim. lin.

3. Diluentia et demulcentia. Sub hoc titulo ſunt recenſenda omnes liquores tenues, mites, ut aqua pura et hordeata, decoctum avenaceum, ſerum lactis, juſcula tenuia. Demulcentia ſtrictius dicta ſunt gummi omnia, olea blanda, eorumque emulſiones, plantarum, quae aliquid mucilaginis continent, infuſa aliaque praeparata, ut decoctum ſarſae et althaeae, infuſum lini ac tuſſilaginis, &c.

Omnia haec, quacunque perveniunt, ad acrimoniam minuendam, et partes ſolidas defendendas a ſtimulo humorum praeter naturam acrium, ſunt idonea *.

Ex hujus morbi ſymptomatum et cauſarum conſpectu, manifeſte patebit, quod ſummo cum fructu remedia hujus generis, in pleriſque ejus exemplis, poſſint adminiſtrari; humores huic copiam ſuppeditantes fere ſemper aliquid acritudinis ſecum adferunt, et partes per quas tranſeunt non rarius male ſeſe habent. Non omnes hujus generis remediorum virtutes in primis viis evolvuntur: Tranſeunt per vaſa lactea, obſtructiones in iis et viſceribus omnibus referant. In

* Clariſſ. Gregorii Conſp. Clariſſ. Cullen. Prim. lin. Auct. Pract. paſſim.

In ſanguinem delata, ibi acria obtundunt, inviſcant, hecticam ab ipſis ortam extinguunt, et excretiones per renes et cutem liberiores reddunt. Quamvis autem his multae magnaeque ſunt virtutes, non carent vitiis. Copia nimia ſumpta, ventriculum debilitant gravantque. Ibi detenta, acorem induunt, et ita nova hujus mali cauſa fiunt, cui eſt occurrendum

4. Antacidis. Validiſſima et maxime horum commoda ſunt ſales alkalini, magneſia, et terrae calcariae, ac iis, vice omnium hujus claſſis remediorum, uti poſſumus. Primum et ſecundum, cum acido juncta, vim purgantem tenent; exinde terrae calcariae, quae vim potius aſtringentem acido additae acquirunt, frequentius et felicius, ad cohibendam ab acido diarrhoeam, uſurpantur. Cavere autem decet, ne ex uſu eorum uberiori globi intra inteſtina formentur; et infantibus quibus alvus aſtricta foret perniciei, ſaepe melius erit magneſiam quam terras calcarias porrigere, quum hi ab acido laborant. Dum ſigna putredinis fluidis vel dejectionibus inſunt, nunquam in uſum venirent. Sed tum potius danda ſunt remedia

5. Antiſeptica. Haud neceſſarium eſt, ut omnia ſub hoc nomine recenſita hic loci enumerare

rare conarer; omnes herbae, fructus et fruges, ac cibi et potus ab his parati, ut et acida omnia, tam vegetabilia quam foſſilia, merito inter primaria habentur. Eidem conſilio inſerviunt diluentia et demulcentia, neque abs re erit, nunc roborantia, nunc ſtimulantia, nunc ſedantia adhibere.

Acida foſſilia, et praecipue vitriolicum, ſunt maxime in uſu. Sed ſi diarrhoea ſcorbuticos laceſſat, optima remedia ſunt fructus acido-dulces, et boni cibi ex frugibus et herbis parati. In diarrhoea quoque, hectica concomitata, hi interdum perutiles fuere reperti. Semel mihi contigit videre, Egregium Hamilton Noſocomii Regii Edinenſis Medicum, puellae, hectica febre et diarrhoea pertinaci correptae, fraga, groſſulas, aurantia, aliaque ſimilia concedentem; et quamvis omnia alia remedia ab Iſto Viro, aliis in exemplis, ſumma prudentia ſummoque beneficio abhibita, parum profeciſſent; dum puella his frugibus veſcebatur, et hectica et diarrhoea evaneſcebant. Ab Illuſtri Gregorio accepi, quod idem in ſua praxi iterum iterumque eveniſſet; et forſitan ſaepius eveniret, ſi medici in talem praxin ſaepius irent *. In diarrhoea bilioſa quoque, fructus

* Clar. Cullen. Prim lin.

fructus maturi aciduli cum ſummo beneficio fuere adhibiti *.

6 Diarrhoea, cui vermes ſunt occaſioni, non niſi poſt horum animantium expulſionem amoveri queat; et remedia anthelmintica, ad hunc finem utilia, ſunt in uſum vocanda. Multa ſub hoc nomine ſunt decantata a vegetabilibus et foſſilibus deſumpta, qualia ſunt ſemen ſantonicum, tanacetum, abſynthium, ruta, colocynthis, nicotiana, ſpigelia Marylandica, cortex Geofroeae Jamaicenſis, praeparata ex ferro, cupro, mercurio, ſtanno, aqua calcis et Harrowgatenſis, &c. &c. Ex his et aliis id genus, delectus fiat pro aegri conditione et vermium ſpecie quae illi infeſtat, e. g. Ad aſcarides necandas, aqua calcis et Harrowgatenſis, infuſum coloquintidae aut nicotianae, ſub forma clyſteris, ſunt adhibita. Adverſus lumbricos pulvis ſeminis ſantonici, aut ſpigeliae Marylandicae, aut ſtanni, dantur forma boli. Contra taeniam, infuſum aut decoctum corticis Geofroeae adminiſtratur. His expulſis, et curatione morborum aliorum, fluxui ortum concedentium, omnino praetergreſſa, pervenitur ad indicationem

II. Quae

* Ill Sauvages Noſol. Method. Claſſ. ix.

II. Quae erat morbi progreſſui obſtare, et ſymptomata lenire; haec abſolvetur,

1. Anodynis.
2 Aſtringentibus.
3. Sudorificis.

1. Anodyna. In pleriſque exemplis, auxilia quae cauſas remotas amovent, vel earum actioni obſtant, praeſtantiſſimum levamen hoc in morbo adferunt, et aliquando hunc omnino tollunt. In aliis autem bene multis, lethalis arundo haeret infixa, et, quamvis fuerit revulſa, vulnus quod fecit curatione indiget. Remedia, quae dolores et irritabilitatem ſopiunt, huic multoties adfuere. Hujus claſſis primum et certiſſimum eſt opium, quo, vice omnium fere aliorum, medici hoc in malo utuntur, et quidem uti debent. Praeſens ſolatium adhibet, et mobilitatem minuendo, ſpaſmos et motus inteſtinorum convulſivos tollit. Somnum et requiem aegrotis conciliat, eoque vires reficit, et, conſuetudinem malam abrumpendo ac perſpirationem augendo, non infrequenter morbum ad exitum felicem perducit. Saepe tamen, pro tempore tantum, aegris auxilium adfert, ſaepe ventriculum debilitat, atque hoc modo ad morbum, cui remedio eſſe debuit, proclivitatem progignit. Hanc ob cauſam, et propter

propter teneſmum ſaepe infeſtantem, ſummo cum beneficio in enematibus parvis emollientibus, doſi largiore adhibetur. Saepe quoque aſtringentibus et aromaticis jungitur, et tum remedium conſtituit, quod vel puro opio vel aſtringentibus multo efficacius invenitur *.

2. Aſtringentia, prout inteſtina eorumque vaſa roborant, prout irritabilitatem et mobilitatem minuunt, ac prout acori et putredini obſtant, hujus morbi progreſſui reſiſtere, ejuſque ſymptomata ſublevare, poſſint.

Ea quae optime votis reſpondent, ſunt terra Japonica, gummi kino, lignum Campechenſe, gallae, cortex caſcarillae, granatorum, quercus, ſimaroubae, alumen, aqua calcis, praeparata ferri et zinci.

3. Sudorifica hunc abſtulerunt morbum, ubi omnia alia remedia omnino ſpes medicorum fefellerunt. Eximius inter cutem et inteſtina conſenſus intercedit, et nulla fere conditio in unius excretionibus induci poſſit, qua excretiones alterius non magnopere afficiuntur. Hoc nimis bene in febre hectica obſervari poteſt, ubi ſudores

* Confect. Japon. Pharm. Ed. et Jul. Siſt. Pharm. Paup. ſunt exempla.

res colliquativae diarrhoeam ſiſtunt, et ab hac viciſſim ſiſtuntur. Sudorifica, fluidorum determinationem cutem verſus augendo, horum in primas vias impetum, et cum eo, excretiones in illas minuunt, reſorptionem per vaſa lactea augent, et nociva quaedam, per cutem natura excernenda, promptius et efficacius expellunt.

Ad hoc caput multa et varia remedia referuntur, qualia ſunt remedia diluentia, vomitoria, anodyna, ſtimulantia, &c. &c. Plura horum, ut in pulvere Doveri ſudorifico ſimul juncta, tutum et certum remedium efficiunt, quod diluentibus adjutum, omnium aliorum vicem ſupplere poterit.

III. Morbo his vel aliis remediis depulſo, obſtandum eſt ejus reditui roborantibus remediis, bono victu et veſtitu, evitando frigus, aliaſque cauſas remotas, et, ſi res facile ferant, melius erit mitius coelum petere.

FINIS.